



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. De Elide.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

QUALITAS. Regio circa Corinthum rupibus, & faxis aspera, collibus & vallibus inæqualis apud Pausaniam legitur in Corinthiacis; Sicyonia, & Achaia lætiores, & amœniores agros habuere.

MORES. Deditissimi fuere nauigationi *Corinthi*, & apud eos primum triremes Græcæ constructæ sunt, maiorésque naues. Apud Corinthios olim nemo ciuis habebatur nisi ex patre & matre Corinthiis natus; postea satis fuit ex alterutro nasci, modò aliquid pensitaretur. Vasa hinc pulcherrima, quæ Corinthia, non tantum ob temperaturam, sed & ob sculpturam: nugantur enim qui æs Corinthium dictum esse autemant à metallis in incendio Corinthiaco in massam vnam coactis. *Sicyonij* peritissimi fuere artifices, itémque religionibus addictissimi: Capram æneam colebant in foro, ne cælestis capra vitibus suis noceret. Superstitiosi admodum fuisse leguntur *Achei*.

POLITIA. *Achei* Reges habuere primum Tisamenem filium Orestis: exinde Democratico statu vñi sunt, eoque optimo: postea Remp. suam Prætoribus commiserunt, inter quos maximè laudantur Aratus, & Philopæmen. Demùm à C. Mummio, excisa Corintho, Romanis subditi sunt. Idem quoque *Sicyoniis* contigit, & qui Achæis ab Arato iuncti erant eamdem à Romanis sortem experti sunt. *Corinthi* denique primum regibus Arguiis subditi, sibi ex Sisyphi familiâ Reges delegere: postea à 200. Bacchiadis ex Hercule natis regnum administratum est; ij sibi vnum è suo corpore præficiebant. Tyranni quoque in eam irrepserunt Cypselus & Periander. Sui iuris facti Philippo Macedoni sese submiserunt; ac demum cum legatos Romanos tractassent iniuriosius, pessimè multati sunt, Corinthoque exscissa, altero se orbatam ocu-lo Græcia ingemuit..

N V M. 2. *De Elide, & Elidensibus, seu Eleis.*

NOMEN. Antea indigenæ *Epei* nominabantur, quorum meminit Homerus, sic dicti ab Epeo Rege. *Elidenses* autem ab urbe Elide nuncupati, vel Rege Eleo; duóque populi in vnum corpus, & nomen coaluerunt.

QUALITAS. Regio fertilissima est Pausaniæ: abundabat quoq; Moris & Bombycibus, ex quibus sericeæ vestes conficiebantur. Hinc quoque Equi generosissimi accersebantur. Item herba Cen-

taurea h̄ic nascebatur teste Plinio; denique linum bissinum laudatissimum.

MORES. Sacri Diis censebantur Elidenses, id est religiosissimi erant. Deum quemdam Myagrum colebant qui muscas abigeret, ex autem pestem solebant inducere. Apud eos fœminæ quinto quoque anno in festo Iunonis cursu contendebant, sed sextâ parte stadium coercebatur. H̄ic ortas controversias selectæ à Republicâ fœminæ prudentissimè composuerunt.

POLITIA. Primùm Regibus paruere, inter quos censebatur Endymion amatus à Lunâ, Epeus, & Eleus (à quibus nomina populis indita sunt) Augias cuius stabula purgauit Hercules, Iphitus ludorum Olympicorum instaurator. Iis sublatis Democraticum statum elegerunt, mox Oligarchicum: Tyrannos etiam aliquos experti sunt. Demum Romanorum iugum sponte subieciunt, à quibus contra Achæos adiuti sunt.

N V M. 3. *De Messenâ, & Messeniis.*

NOMEN. Dicta est *Messenia* à Messene Phorbantis Argui filiâ, quæ Imperium peperit marito suo Polycaoni filio Lelegis homini priuato: ita *Pausanias*.

QUALITAS. Temperatissima est *straboni*, & egregiè rigua, id est alendis armentis, & gregibus peropportuna est.

MORES. Hoc celeberrimum apud eos fuit, quod in ciuitate suâ Epicureos Philosophos non tolerarent.

POLITIA. Primùm à Regibus administrata est Messenia, inter quos celebrantur Idas, Lynceus, Nestor. Eius quoque parti imperarunt Machaon, & Podalyrius filij Æsculapij. Posterioribus temporibus sibi Duces elegerunt, de quibus Pausaniam leges. Eorum vltimus fuit Aristomenes, quo sublato Lacedæmonij Messeniam totam sibi vindicarunt.

N V M. 4. *De Laconia, & Laconibus, seu Lacedæmoniis.*

NOMEN. Dicta est primùm *Lelegia*, à Rege *Lelege*, mox *Oebalia* ab alio Rege *Oebalo*, postea *Lacedæmon*, quo nomine Messenia quoque continebatur, à Lacedæmoni Rege dicta, qui ex Taygetâ vxore Eurotam filium suscepit; denique *Laonia*. Antiquitùs qui-